

8.36.6

*Idem AA. et CC. Helenae.*

Si pactum intercessit, in exceptione sine temporis praefinitione de dolo replicari potest.

*S. k. Sept. Viminacii AA. consss.*

[a. 293]

8.36.7

*Idem AA. et CC. Menandrae.*

Si ex maiore debiti quantitate minor tibi soluta est nec liberationem debitori tuo praestitisti, petere quod non probatur redditum, contra exceptionem pacti replicatione tuam adiuvans intentionem, minime prohiberis.

*S. II k. Mart. CC. consss.*

[a. 294]

8.36.8

*Idem AA. et CC. Aurelio.*

Praescriptionem peremptoriam, quam ante contestari sufficit, vel priusquam sententia feratur, obicere quandoque licet.

*S. XV k. Nov. CC. consss.*

[a. 294]

8.36.9

*Idem AA. et CC. Muciano.*

Si quidem intentionem actoris probatione deficere confidis, nulla tibi defensio necessaria est. Si vero de hac confitendo exceptione te munitum adseveres, de hac tantum agi convenit, nam si etiam de intentione dubitas, habita de exceptione contestatione tunc demum, cum intentionem secundum adseverationem suam petitor probaverit, huic esse locum monstrari convenit.

*S. III non. Nov. Burtudizi CC. consss.*

[a. 294]

8.36.10

*Idem AA. et CC. Aquilinae.*

Non exceptionibus actores, quibus reis auxilium tribuitur certis ex causis, sed replicationibus suam intentionem, si quam habent, muniunt.

*S. k. Dec. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]

8.36.11

*Idem AA. et CC. Neonii.*

Defensiones sive exceptiones ad intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente statu munitus est, constat.

*Sub die XV k. Ian.*